

11.3  
13



E. 30. num. 25-

1713, 18<sup>a</sup>

20

I. N. J.  
DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA  
DE  
**SVPERVITA,**

VULGO  
**Singeschneitel /**

Q V A M  
**DEO DVCE,**

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO



**GVILIELMO HENRICO,**

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE AC MONTIVM,  
ANGARIAE ET WESTPHALIAE, &c.

*Ex Decreto & Autoritate Illustris J Ctorum Ordinis  
IN ALMA SALANA,*

SVB PRAESIDIO

*VIRI ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI,*

**DN. CHRIST. WILDVOGELII, ICTI,**

SERENISS. DVCIS SAXO - ISENAC. CONSILIARIUS STATVS INTIMI  
CVRIÆ PROVINCIALIS ET SCABINATVS ASSESSORIS: COLLEGII  
IVRIDICI SENIORIS, VT ET ANTECESSORIS CELEBERRIMI,

*Domini atque Patroni sui submisè venerandi,  
PRO - LICENTIA DOCTORALI*

*in utroque Jure consequenda*

*publico Eruditorum examini submittit*

**CHRISTIANVS BERNHARDVS KREBS,**

Calensis Thuring. in Præfect. Orlam. & Leuchtenb. Politia Commissarius,  
& Advocat. Ordinar.

*D. Septembr. MDCCXIII. horis ante - & pomeridianis.*

*I E N A E , LITERIS MULLERIANIS.*

**ATIVITATIS  
DEO  
PRINCIPI  
PATRIÆ.**



## PRÆFATIO.

**P**erquam durum mihi videtur, quod vulgo dicitur, minima non curare Prætorem. Quid enim, cum de stolidiis, de aquis arcendis, de glande legendâ, nedum de stercore & stabulis animalium agitur, nonne hæc sunt minima? Quare, cum non tantum res maximæ pretii in patrimonio privatorum sint, sed & minimi, non debent hæc à Jurisconsultis præteriri, cum & ipsæ adjus rerum pertineant. Utar in re non dubiâ uno tantum vel altero exemplo; nempe, cum in omnis rei alienæ prædatione furtum committatur, quidni in minimorum iniquâ subductione quoque furtum fieri credendum? Ille enim non solum, qui alienam gallinam subtraxit, furti crimen incurrit §. 16. de

A 3

rev.

rev. div. sed etiam qui ex alienâ cisternâ aquam  
hausit, l. 21. §. 5. de furt. Et quanquam ob in-  
famiae notam gravior sit, hoc casu , furti con-  
demnatio , tamen actio non deficit. Zaf. singul.  
respons. lib. II. Cap. 26. Rittershus. ad §. 16. de  
rerum diuis. Anton. Matth. de criminibus. tit. de  
furtis. Cap. II. num. 4. Fuisse autem olim etiam  
propter res levissimas ad Prætorem itum, vel  
ex Plauto intelligere licet, qui hominem sordi-  
dum descripturus, ait: eum voluisse milvum,  
qui ipsi pulmentum eripuisse, in jus vocare.  
*Aulular. act. II. scen. 4.* Hodie etiam sæpissimè  
maxima de nihilo nascitur controversia; quod  
non ignorantii, qui aliquot tantum annos in pul-  
vere fori versati sunt. Narrat Cornelius Bynder-  
schockius, se vidisse propter haustum aquæ ma-  
gnas excitari turbas, lib. I. observ. jur. Roman.  
cap. 3. & juxta illud tritum: *Fit lis ex minimis in-*  
*terdum maxima verbis.* Quidni igitur & nobis  
licebit, de re, levi quidem, multis tamen sæpè  
jurgiis expositâ, disserere, quæ vel ideo negli-  
genda non est, quod maximè ad nobilium per-  
sonas pertineat. Jacta esto alea, cadet ut Deus vo-  
luerit! quo fausto adjutore ipsum opus jam sumus  
aggressuri!

CAP.

## CAP. I.

*Supervita sive Eingeschneitel/ quid  
sit vi nominis, addita definitione  
rei, negativâ, & positivâ, ubi  
& de affinibus.*

### §. I.

Jurisconsulti Romani studiosè exquirebant, undè verba ducta essent, idque à Stoicis didicerant, quorum Philosophia imbuti erant. Cujac. lib. XXVI. observat. cap. 40. Merill. lib. I. observat. cap. 8. Schilter. manuduct. Philosophop. ad jurisprud. cap. I. §. 5. seqq. Sed quēm admodum Stoici in formandis etymologiis ineptè versati sunt, undè etymologia *swirojām* pro ineptissimā passim apud Criticos sumitur; ita non feliores Stoicis in eā parte grammatices, jurisconsultos fuisse, singulari commentatione Aegidius Menagius demonstravit, nempè cap. XXXIX. *amoenitatum juris civilis*, in quo etymologias omnes, quæ in libris juris civilis adducuntur, ordine alphabetico retulit, atque examinavit. Suscipiemus igitur & nos hanc molestiam & vocabuli rationem reddere conabimur, veniā saltem digni, si origines eorum prorsus assecuti non fuerimus.

A 3

§. II.

## §. II.

Vox *Supervita* in libris recentiorum jurisconsultorum non infrequens est, ipsine eam cuderint, an ab aliquod veterum mutuati sint, dicere non habeo, neque nostra multum interesse puto, non magis certe, quam si quis eum repererit, qui primus sternuisset, aut screasset. Vox quidem ipsa satis ad analogiam linguæ latínæ efficta videtur. Est enim figura composita vocum, quā duæ dictiones unicā proferuntur, ut apud Terentium *semperlenitas*, apud Plinium *sempervivum*, apud Virgilium *antemalorum*, apud Ciceronem *non corpus*, & in l. 17. ff. de serv. urb. pred. heliocaminus, de quibus plura videantur apud Io. Benz. de figur. lib. I. Clas. 9. num. 4. Et statuit Antonius Faber Cod. faband. Lib. V. tit. I. def. I. num. I. has donationes ideo de *Supervitâ* vocari, quia factæ sint in utilitatem ejus, qui ex conjugibus alteri supervixerit, Cujus ego sententiae omnino accedo. Neque enim video, quid afferri melius possit. Si tamen alicui placuerit conjecturis indulgere, non absurdè affirmabit, *Supervitam* per Ellipsis appellari, quod nempe per hanc donationem alteri conjugum, *Super vitâ*, scilicet sustentanda, prospiciatur. Plerumque enim eo nomine edulia intelliguntur, aut certe ea, sine quibus non satis commodè vivitur,

## §. III.

Putant aliqui mentionem hujus nostræ de *Supervitâ* donationis fieri in leg. 8. de rebus dubiis ubi  
Paus-

Paulus ait: *si inter virum & uxorem donatio facta fuerit, priore defuncto, cui donatum est, ad eum res reddit, qui donaverat. Quod si simul tam is, cui donatum est, quam is, qui donaverit (scilicet defuncti sint) questionis decidenda gratia, magis placuit, valere donationem: eo maximè, quod donator non supervivat, qui rem condicere posse; Sed illi, ut liberè dicam, falluntur.* Hæc enim lex loquitur de donatione facta inter conjuges constante matrimonio, & quæ ab initio non valet, sed tantum donatoris morte confirmatur, de qua integris Digestorum & Codicis titulis, de donationibus inter virum & uxorem, agitur. Gvid. Pap. quest. 565. & Vigelius M. J. C. p. 4. Lib. 14. Cap. 20.

## §. IV.

In Germaniâ non priùs peculiari studio investigatae sunt etymologiae, quâm nominalium secta innocenteret, & considerationi vocum insudaret, quam satis infeliciter, donec seculo XV. & XVI. eruditorum cœtus operam suam eo contulit, de quibus copiosè agit doctissimus Johannes Georg. Ecardus in *historiâ studii etymologicî*. Vocabulum autem *Eingeschneitel* / quo Berlichius in rubr. decif. 357. part. 3. nostram de supervitâ donationem germanicè reddidit, unde descenderit, omnibus liquet, nempe ab *einschneiden* / pro quo veteres dicebant *eingeschneiden* / qui passim hanc per Epenthesin encliticam particulam, ge / aliis vocabulis immiscere sunt soliti. Ita crebro usurparunt, *geflogen* / *gethun* / *gehören* / *verge-*

vergebieten / prō quibus hodiè politiū dicimus,  
folgen / thun / hören / verbieten. vid. *Jus alemannic.*  
*Cap. 211. §. 3. Jus alemannic. feudal. rubr. Cap. 159. Jus*  
*Sax. feudal. Cap. 20. & LandR. art. 20. lib. I. quem*  
*antiquorum morem Thuringi hodienum in multis*  
*sequuntur. Impunè faciet, si quis à perfecto ver-*  
*bi Einschneiden / hanc vocem vellet derivate: Cum*  
*autem illa vox potissimum ad cibaria transferatur, &*  
*hæc donatio maximam partem in ejusmodi rebus*  
*consistat, non immeritò à potiori denominatio fa-*  
*cta est.*

## §. V.

Accedamus ad definitionem rei, eamque tam  
negativè, quam positivè proponamus. Ita enim &  
veteres Jurisconsulti solebant. Sic Ulpianus *in leg. 161.*  
*de verb. signif. pupillum* describit negativè, hoc mo-  
do: *non est pupillus, qui in utero est.* Pomponius au-  
tem *in leg. 230. eod.* positivè: *Pupillus est, qui cum*  
*impubes est, desit in patris potestate esse.* addatur *l. 27.*  
*§. 6. fin. ff. de auro & argento legato, & l. 1. ff. de*  
*supellecstile legata &c.* de quibus plura etiam Willi-  
chius & Vigelius *in suis Dialecticis* adducunt, quæ lu-  
bens prætero.

## §. VI.

Primum autem cum supervitâ confundi non  
debent *commestibilia & cibaria domestica, Hof-Speise*  
*oder gehöfste Speise / de quibus notabile præjudi-*  
*cium adduxit Richterus de success. ab intest. f. 4. m. 3.*  
*n. 52. p. m. 293.* addatur *Carpz. de jur. fæmin. singul.*  
*decad.*

decad. VII. pos. 2. seqq. & de oner. Vasall. feudal. decad. IV. pos. 6. itemque Berlich. p. 3. Concl. 48. per totam. Leges enim Saxonicae de omnibus illis cibariis quae maritus jam possedit, & post diem tricesimum ab obitu ejus supersunt, partem alteram vidua relinqui jubent, alteram heredibus. Land-Recht. lib. 1. art. 22. verb. Nach diesem muß die Frau ic. & Constitutio Elector. 34. part. 3. Ex quo tandem germanica denominatio descendere nonnullis videtur, Musttheil / scilicet, quod illa vidua sibi soli retinere non potest, sed dividere debet, Sie muß theilen / Carpz. ad d. Const. def. 2. & 3. Excluduntur tamen hoc modo illa cibaria, quae post mortem mariti, licet intra tricesimum, illata sunt, quia in domo mariti fuisse non dicantur, & hereditas intra tricesimum pro jacente habetut. Berlich. p. 3. Concl. 47. n. 4. seqq. Carpzov. part. 3. C. 34. def. 3. Sed præcipua inter hæc duo differentia in eo consistit, quod cibaria debeantur nobilibus in Saxonia viduis, den. Frauen von Ritterg. Alth/ ipso jure, etiam si nulla sibi conventione de iis prospexerint, cum in ejus locum consuetudo, & generalis observantia, & expressa Serenissimi Saxonis lex succedant. vid. Möller. lib. III. se mestr. Cap. 24. num. I. Zobel. in gloss. Latin. ad tex tum germanicum lib. I. Spec. Saxon. art. 22. lit. E. addatur Berlich. p. 3. Concl. 48. num. 7. 8. 9. Sed hoc non nisi prius deducto ære alieno. Carpz. p. 1. c. 28. def. 94. & Ord. Proc. Elect. tit. 43. §. und weil hier bei ic. ic. Ord. Proc. Goth. p. 1. cap. 18. Hæc nostra

B

Super.

Supervita autem totam suam formam à conventiō-  
nibus conjugum , & non à legibus accipit , atque adeò  
penitus ab eorum , qui nuptias contrahunt , consensu de-  
pendet , ut , nisi ea disertè , sine titulo tamen univer-  
sitatis ( de quo Carpz . p . 2 . c . 43 . def . 5 . seqq . plura  
tradidit ) in dotalibus instrumentis constituta sit ,  
nullò prætextu peti possit . Deinde quoque , si non  
ob prærogativam in pactis dotalibus species cibario-  
rum in certam pecunia summam redactæ fuerint ,  
nec propter illam mulier sibi de hypothecā in feudo  
expresse prospexerit , uti juxta Nov . dec . Sax . 72 . Carpz .  
p . 3 . dec . 281 . facere suadet , & Richt . de Succ . S . 4 .  
m . 3 . n . 57 . nonnulla adduxit , cibaria planè incerta-  
sunt , nunc modica , nunc omnino nulla , nunc etiam  
maxima . Cum enim vidua eorum demum edulio-  
rum partem capiat , quæ post elapsum tricesimum ,  
ab obitu mariti , diem supersunt , sàpè autem non  
modo nihil restet , sed ne quidem , quæ reperiuntur  
post mortem domini , alimenta familia ad id us-  
que tempus sustentandæ sufficient , consequens est ,  
ut hoc in casu nomine commestibilium nihil conse-  
qui vidua queat . E contrario si maritus v . g .  
tantum vini frumentique possederit , quantum toto  
consumi decennio nequeat , nihilominus vidua jure  
suo dimidiā inde partem percipit atque aufert .  
Hartm . Pistor . Part . I . qu . 32 . Schultes . in addit . ad  
Röschütz . art . 2 . n . 4 . & Berlich . d . Concl . n . 2 . & 12 .  
usque 16 . ubi etiam n . 22 . seqq . ea , quæ ad commesti-  
bilia pertinent , enarrat , nec , cum aliquà tamen  
restri-

§§ (n) §§

restrictione, n. 39. frumentum-saracenicum & polenta-  
tam ab hisce excludit, add. Carpz. p. 3. c. 35. def. 8. 9.  
10. it. Richt. Dec. 7. At in donatione de Supervitâ  
eiusmodi incertitudo non occurrit, quippe quæ sem-  
per eadem & tanta manet, quanta compositis dotali-  
bus pastis converta fuit.

S. VII.

Differt secundo à Supervitâ *Donatio propter nuptias*; Hæc donatio propter nuptias, Gegen-Ver-  
mähltniss/ est constitutio pecuniaæ, vel rei alicujus,  
quâ uxori præstatur securitas, & quasi repræsentatio  
dotis, ut, si hæc de dote periclitetur, vice ejus aliquid  
habeat, ast sine ullâ prærogativâ. Carpz. p. 1. c. 28.  
def. 91. & 92. add. Huber. posit. 6. ad tit. Inst. de do-  
nat. Beyer. posit. 18. ad tit. ff. de jure dot. & Brun-  
nemann. paratit. ad Tit. ff. de ritu Nuptiarum.  
§. 38. pag. m. 490. Quanquam consentiant ferè Do-  
tores, hanc donationem in Germaniâ ab usu reces-  
sisse. Franzk. de laudem. cap. 22. num. 67. Schilter. Exer-  
cit. 36. §. 86. Sed etiam si observaretur, magnum tas-  
men inter eam & Supervitam maneret discriimen.  
Nam donatio propter nuptias tantum uxori consti-  
tuitur, abrogatô respectu æqualitatis. Philip. l. 2. Ecl. 39.  
n. 7. & 8. Gail. 2. O. 78. Perez. in Cod. de Pact. convo-  
tam sup. dot. Carpz. p. 2. c. 42. d. 1. n. 5. Supervitam  
verò nihil impedit, quo minus etiam marito com-  
petere posse dicamus. Porro in donatione propter  
nuptias non hoc agitur, ut defuncto marito ad uxo-  
rem pertineat, sed saltē ut mulier de dote secura-

B 2

sit.

Sit. Philip. all. loc. n. 5. Unde, sicut solutō matrimonios ad uxorem redit, ita quoque donatio propter nuptias ad maritum vel illius heredes. leg. un. §. 6. Cod. de rei uxor. action. Nov. 97. cap. i. Carpz. p. 2. c. 42. def. 1. Philip. all. loc. n. 10. nisi de eā lucrandā pactum adjectum sit, vel pro dotalitio hanc donatiōnem eligat mulier in pactis dotalibus, præsertim si videat, non metuendum esse concursum in bonis mariti, quod quandoque consultius esse, ait Stryck. Caut. contr. f. 3. c. 8. §. 28. in medio. add. Cothmann. resp. 50. n. 13. 44. & 47. Rittersh. ad Novell. part. 5. cap. i. num. 8. Quæ omnia à Supervitâ aliena sunt, cum obtineri illa queat, etiam si uxor dotem nullam attulerit: vid. in simili Hopp. & Schultz. ad §. 3. f. de donat. lit. C.

### §. VIII.

Nec **Sponsalitia largitas** cum Supervitâ confundi debet: Siquidem illa est donatio inter sponsum & sponsam, spe futuri matrimonii, amoris & benevolentiae gratia, facta, seu donatio ob causam; habet enim hanc tacitam conditionem, si matrimonium sequatur. l. 15. Cod. de donat. ante nupt. Et hæc sit, vel per conventionem simplicem, aut solennem stipulationem. l. 3. & 5. Cod. d. t. vel per rei traditionem, eamque vel veram, vel fictam. Etenim si conjuges sibi invicem antè nuptias aliquid donent, veluti catenas, armillas, annulos, uti in Germaniâ fieri solet, hæc donatio, concurrente ad hunc finem volunt.

voluntate sponsi & acceptatione sponsæ, subsistit.  
 Carpz. P. 3. c. 19. d. 14. Myns. Conf. 43. In dubio au-  
 tem, & si de aliâ mente non constet ex circumstan-  
 tiis, concessionem potius ad usum, quam donatio-  
 nem intelligi, tradunt Dd. passim. J. P. Surdus De-  
 cis. 166. n. 27. Besold. p. 3. Conf. 107. n. 14. seq. Brun-  
 nemann. ad l. 5. §. 10. ff. Commod. Nisi sponsus ex  
 consuetudine teneatur aliquid mittere, vel dicat ex-  
 pressè, se donare sponsæ, vel etiam qualitas mit-  
 tentis & conditio ejus ad quem mittitur, exposcat  
 dona ejusmodi personis convenientia. arg. l. 3. §. ult.  
 ff. de testibus. Mantica lib. 20. de tac. & amb. conv.  
 tit. 1. n. 20. Matth. de afflictis. Dec. 315. n. 7. Gail. 2.  
 O. 72. n. 9. vel tandem, quando senex juveni, & igno-  
 bili nobilis dona mittit. Cravett. Conf. 442. & 443.  
 aut quando dona ratione objecti non sunt magni  
 valoris. J. P. Surdus. Dec. 166. nec res festivæ, sed quoti-  
 dianæ. Brunnem. ad l. 5. §. 10. ff. Commod. Mantica  
 all. lib. t. 2. n. 18. De acceptatione verò vide plura-  
 apud Carpz. l. 5. Rep. 62. Ast si hæc excedant sum-  
 mam 500. solidorum, insinuatione opus est. Quod  
 tamen multò aliter sese habet in Supervitâ, quia  
 non nisi post mortem alterius conjugis hæc super-  
 viventi tradi debet, nec uxor eam uti sponsalitiam  
 largitatem, subsecuto matrimonio, vel etiam  
 Morgengabam, statim alterâ nuptiarum die, plenò  
 jure dominii ac irrevocabiler lucrari solet. Phi-  
 lipp. usu pr. l. 2. Ecl. 39. n. 2. Carpzov. Jurispr.  
 p. 3. c. 33.

## §. IX.

Denique eandem ob causam diversum est jus Dotalitii, germ. Leib-Gebing / Leib-Zucht / oder Witthum / quod est ususfructus juxta dotis quantitatem viduæ, ad dies vita in bonis mariti defuncti constitutus, vid. Beyer. *jur. feud. cap. VIII.* §. 133. Struv. *Synt. jur. feud. cap. XIV. apb. 9.* Est enim dotis loco id surrogatum, sic, ut dos per dotalitium post obitum mariti semel à viduâ electum & acceptum, penitus absorbeatur nec repeti possit; Carpz. p. 1. c. 28. def. 93. Hartm. Pift. l. 1. qu. 4. & Rauchb. p. 1. qu. 30. n. 22. Quæ tamen libera electio consul-tius per pacta adimitur mulieri, præsertim si quis uxorem ætate majorem ducat, quæ finitò matrimonio d. libentius dotem repeteret, & in suorum comoda converteret. Stryck. d. claus. contr. f. 3. c. 8. §. 27. & 28. Cæterum vidua dotalitium petens non solum probare debet, dotem verè esse constitutam, sed etiam illatam ac solutam; constitutio enim dotis facti est, & hinc non præsumitur, sed potius bona simpliciter illata creduntur. Menoch. *de pref. l. 3. §. 8. n. 34.* & Stryck. d. tr. 3. 3. cap. 8. §. 6. ubi idem de bonis post nuprias illatis admonet, cavendum, ut expressè in pactis addatur, talia bona debere esse data-  
lia, daß sie solches als Ehe-Geld wolte eingebracht haben/nam dotem augeri posse constante matrimo-nio, certum est, modo id exprimatur. In questio-ne

ne autem soluta dōtis exceptio contraria tunc non locum habet, quando jam conjugium ultra decennium duravit; Richt. de succ. ab int. S. 4. m. 3. n. 23. ibique all. Coler. Rauchb. & Wesenb. add. in simili Schvartzenthaler. ad l. squidem. Cod. de contrab. & commit. Stipul. Tab. 3. §. 49. p. m. 401. Quomodo verò illatio dōtis commodè probetur, inter alios ostendit Decian. Conf. 32. n. 76. v. 2. Stryck. all. loco. §. 29. Schulz. de feud. cap. 8. n. 227. Sic igitur dotalitium semper respicit uxoris dotem illatam; ast verò nostra donatio vel promissio, non intuitu dōtis, sed pro sustentatione & alimentatione uxori relinquitur. Berlich. Part. III. decif. 357. n. 6. in tantum, ut si dōtis ratione ejusmodi quid constitutum sit, non sit Supervitā, sed pro alio contractu habendum, etiam si nomine supervitā contrahentes fortè abusi sint. vid. Guid. Pap. decif. Gratianop. 565. num. 1.

## §. X.

Positiva jam definitio hujus donationis, si quis cuncta exactius rimetur, talis exstrui potest: *Supervita est contractus, initus inter conjuges, in hunc finem, ut alteri, qui supervixerit, ex bonis defuncti certa quedam singulis annis edulia, & alia ad vitam sustentandam necessaria ad dies vita praebeantur, plerunque in pactis dotalibus determinata.*

Ajo, esse Contractum: quamquam enim ipsæ nuptiæ nec contractus, nec quasi contractus jure dici pos

possint, cum non pertineant ad jus circa res, sed circa personas, & species sint societatis domesticæ. Schilter. not. ad Wagner. differ. jur. civ. & can. §. 59. adeò ut non dubitet eloquentissimus ille patrum ecclæsia Chyſtومus hom. LXXIV. in Mattb. pronunciare: Si nuptiæ ~~co*u*l*l*ayua~~ vocentur, divinum munus conjugii contumeliâ affici, quoniam quasi vendentes ac ementes uxores viri ducant, & viris nubant mulieres, cum tamen venale non debeat esse matrimonium. Roderic. Svares. in l. 1. Tit. de Arrbis. n. 35. p. m. 241. attamen hæc incommoda nostram promissionem non urgent. Versatur enim utique circa res, neque essentiam nuptiarum ingreditur. Dixi porro, eduliorum quantitatem plerumque in pactis dotalibus determinari, non semper; Sicut enim certum est, nec ad nuptias dotalia instrumenta requiri, Brisson. de ritu nuptiar. pap. 35. nec ad legitimationem per subsequens matrimonium, tanquam effectum nuptiarum, Huber. prælect. jur. civil. tom. 1. pag. 28. (quicquid alii ex §. ult. de nuptiis contradicunt, Wissenbach. ad l. 10. C. de nat. lib. decepti per illud brocardicum, quasi ablative absoluti conditionem faciant, quod refutavit Coras. lib. VII. miscell. jur. civil. cap. 14. cum dotalia instrumenta sint ibi pro nuptiis posita, quod cum primis appareat ex §. 2. de hered. que ab intest. deser.) ita, cur præcisè in Supervitâ necessaria sint, non video, & sufficere statuo, si alio modo per præsumptiones & conjecturas, vel per

per verba enunciativa de mente contrahentium constare possit, etiamsi nec stipulatio accelerit, l. 17. Cod. de Pac*t.* Schvvartzenth. ad L. Cod. 14. de contr. & committ. Stipul. tab. 3. §. 85. p. m. 782. Joh. Christ. Herold. Conf. dec. 45. n. 17. seqq. ibique all. Brunnen. Menoch. Mascard. & alii &c. Philipp. l. 3. Ecl. 45. n. 7. 8. 9. 10. seqq. quandoquidem hodiè jure canonico & moribus nuda quoque pacta & pollicitationes, quæ nomine & causâ carent, firmam communis suffragio obligationem & in foro actionem producunt, & pro deliberatis habentur. vid. c. 1. & 3. X. de pac*t.* addatur. Mev. p. 5. dec. 408. Carpzov. p. 2. c. 19. def. 17. n. 8. Struv. Exerc. VI. tb. 17. Philipp. alleg. loc. n. 13. 14. ibique resp. Lips. & Schvvartzenthaler. ad l. 5. Cod. all. tit. §. 14. Cætera, quæ in definitione occurunt, satis in sequentibus declarabuntur.

## CAP. II.

*Quibus, & à quibus Supervita  
constituatur.*

## §. I.

**D**ixi in cap. preced. §. 7. & 9. Supervitam utriusque conjugum, & tam à marito uxori, quam ab uxore marito relinqui posse: nec muto sententiam. Et de priori quidem nullum est dubium; constat enim maritum uxori alimenta debere, etiam indo-

C tata.

tat<sup>r</sup>. Mynsing. cent. 1. obs. 64. & licet dos promissa  
 præstita non fuerit. Wesenbec. parat. ad tit. de jur.  
 dot. num. 6. ibique Hahn. Beust. de jure connub. part.  
 2. de matrimon. cap. 66. & part. 3. de dot. cap. 12. Ea-  
 demque alimenta vidua post mortem mariti non  
 injuria petere potest. Bockelmann. disp. de jur. auxil.  
 Sect. 12. Cum autem ad hæc maritus præstanda co-  
 gatur, quidni queat sua sponte etiam uxori de ali-  
 mentis quibusdam post mortem suam prospicere, præ-  
 sertim in pactis dotalibus; Ea enim, quatenus vi-  
 delicet non adversantur legibus & bonis moribus,  
 vel non præbent occasionem delinquendi, vel indo-  
 tatas non reddunt mulieres, vel aliás conditionem  
 dotis non faciunt deteriorem, regulariter derogant  
 omni juri & legibus scriptis, & statutis, & con-  
 suetudinibus locorum, atque his omnibus præva-  
 lent, prædominantur ac præferuntur. l. 2. 4. 5. & 6. ff.  
 de pact. dotal. Carpz. part. 3. Concl. 20. def. 1. Ritters-  
 hus. ad Norell. part. VII. cap. 18. num. 4. Gail. Lib. 2.  
 O. 78. Sic, ut nunquam, si secundum leges simpli-  
 citer & per modum contractus vel actus inter vi-  
 vos sint inita, ab uno revocari & mutari possint.  
 Struv. Ex. 30. tb. 19. Stryck. Ct. S. 3. cap. 8. §. 18. & 23.  
 Joh. Christ. Herold. Conf. dec. 45. in rat. aff. n. 14.  
 Philipp. l. 3. Ecl. 95. quare & si convenerit inter con-  
 juges in pactis dotalibus, ut mariti heredes uxori  
 superstici quædam singulis annis edulia & cibaria præ-  
 beant, hoc non immerito servabitur & præstabuntur  
 ea viduæ, vel in domo heredis, vel extra illam, si  
 nem-

nempe commodè ac honestè cum herede commorari non poscit. Lud. à Pegeira *Dec. aur. 20. n. 6.* & *Dec. 21. n. 9.* vid. in simili Cynus, Baldus, Castrensis Salicetus & alii Dd. *ad l. 12. Cod. de inoffic. testam.* Quid autem si universa bona maritus conjugi assignaverit per pacta dotalia? hoc non valere, putant Dd. ne adimatur testandi facultas, & esset profusio, non liberalitas. Carpz. *l. 5. Rep. 65.* Sed contrarium tradit Brederodius *in suis Caut. pag. m. 299. Caut. 13. n. 3. it. de Legat. 2. Ct. 40. num. 3.* & *4. p. m. 513. it. Zœl. & Wissenb. D. 16. tb. 11. per l. 35. §. 4. Cod. de donat. & l. 8. Cod. de Rev. donat.* quos tandem cum restrictione sequitur Carpz. *p. 2. C. 43. def. 6. n. 11.* & reciprocum omnium bonorum donationem inter coniuges valere, asserit, quando nempe hoc non jure hereditario, aut successionis, sed jure contractus factum sit, quia hereditas regulariter per pacta non acquiritur, add. in sim. Philipp. *L. 2. Eccl. 34. n. 3. seqq.*

## §. II.

Sed de uxore, & an hæc quoque marito donationem de Supervità constituere possit? plus dubii habet. Mihi quæstio affirmanda videtur. Nam si quidquam est in hac rerum universitate, quod animi hominum maximè appetant, totoque affectent pectora, amor sanè est *Conjugalis*. Is enim est, quem fons & origo omnis, quod uspiam est, boni, mortalibus implantavit. Is est, sine quo nec voluptas in

C 2

hæc

hac vitâ, nec gaudium, nec jucunditas, nec amoenitas in mundo ferè esse potest. Hoc mediante amore hominibus orbis, Christianis Ecclesia, civibus Republica, domusque tandem replentur liberis. Ut adeo primum ex hac innatâ ratione, non iniquum mihi videatur, si huic amori conciliando, promovendo & augendo, despontati etiam se invicem largissimis devinciant provisionibus, illisque sanctissimo huic animorum vinculo initium quoddam per pacta & contractum de Supervita faciant latissimum. Post hac etiam Dd. statuunt communiter, maritum ad inopiam redactum debere ab uxore, pro vita sustentatione & sublevandâ necessitate, ali, & quidem non tantum de fructibus dotis, sed his non sufficientibus etiam ex bonis paraphernalibus & aliis extradotalibus, per Autb. *praterea*. Cod. undè vir & uxor. Guido Pap. dec. 403. Joh. Pet. Surdus de alimentis tit. I. qu. 35. n. 6. & 7. & Baldus in l. 19. Cod. de jur. dot. Atque hoc non immerito, quia maritus & uxor sunt participes infortuniorum, imo una eademque caro. Cap. 5. de Bigam. non ordin. Berl. p. 3. Concl. 26. n. 2. Sic ut turpe foret uxori, habere virum mendicantem, ut inquit Abb. in Conf. 17. in fin. Vol. 1. Deinde constat etiam, uxorem & virum ad paria judicari, ex naturâ correlativorum. arg. leg. 3. Cod. de indictâ viduit. tollend. Quod igitur hoc in casu in personâ viri honestum est, non debet uxori illicitum censeri; siquidem hac de latere viri sumpta est, ut par esset Socia vita cum marito. Nam non citra mysterium ait Moses,

ses, & adificavit DEVS eostam, quam sumpserat de Adamo in mulierem, sed ut significaret, mulierem esse mariti domum ac ædificium œconomicum, (unde hodie vox germ. Frauen-Zimmer) quod simul habitent, rem familiarem simul curent, simul generent & educent liberos, sintque ambo caro una. Schvartzenth. de Stipulation. ad l. 9. Cod. de Contrab. & committen. Stipulat. tabul. 3. n. 54. p. m. 405. Nihil igitur impedit, quo minus dicamus, istas de Super-  
vitâ prömissiones conjugum posse reciprocas esse, & æquè ab uxore marito, ac à maritô uxori, aliquid eo nomine validè concedi. Et est casus in terminis apud Anton. Fabr. lib. V. Cod. Sabaud. tit. I. def. I. num. 2.

## §. III.

Solet quidem à nonnullis opponi, uxorem non solum minoribus ac pupillis comparari, Carpz. P. 2. C. 13. d. 16. n. 10. sed etiam esse famulam mariti, quare & suum maritum magnâ reverentiâ colere debet: jam verò celebrans actum cum eō, ob debitatem & reverentiam debitam sibi neutiquam præjudicare potest, sed potius actus nullus reputatur. argum. l. pen. verb. magna verecundia ff. de furtis. Imò & repugnare hoc bonis moribus; futurum enim hoc modo, ut mulieres imperiosæ fiant, virosque contemtui habeant, utpote qui sine subsidiō earum vivere nequeant. Sed dictum illud, quod uxor sit famula mariti, non usque quaque est theologicum, nec sacris literis congruum; Nam Genes. cap. 2. DEVS

optimus maximus non de pedibus Adæ sumpsit mulierem, ut prorsus ancilla loco esset, sed de latere, ut foret virago, hoc est mariti radiis fulgeat. Reliquo autem incommodo juxta Gloss. in l. 34. §. 1. ff. de donat. etiam facile obviam itur, si modo promissio illa non sit simplex, sed ob causam, seu remuneratoria & reciproca, adeoque ultrò citroque obligatoria. Philipp. l. 3. Ed. 95. n. 2. Mynsing. resp. 49. de ead. s. n. 3. seqq. Gail. 2. Observ. 40. n. 7. Et 9. Brederodius de Cant. contract. caue. 112. n. 1. seqq. pag. m. 62. maximè cum mutua seu vicisitudinaria donatio propriè non sit donatio. Carpz. p. 2. c. 13. d. 18. Quare & tam valida sunt pacta conjugum reciproca, ut nec ob supervenientiam liberorum &c. revocari possint. Joh. Christ. Herold. Conf. dec. 45. n. 41. seqq. Et si tandem uxor viro ejusmodi quid promittat, vir autem propter paupertatem par reddere nequeat, propterea tamen nullam viro imperandi causam habet, cum incertum sit, quis ex conjugibus supervicturus, & an eo beneficio vir fruiturus sit; Utile tamen est, ut ejusmodi pacta inæqualia non siant constante matrimonio, sed antè, & quidem per verba de præsenti, quia pacta inæqualia constante matrimonio inita sapiunt donationem, quæ post nuptias est prohibita, ne conjuges mutuo amore se spolient. Cœpol. Cr. 62. p. 108. add. Carpz. L. V. Resp. 65. n. 15. id. p. 3. c. 19. d. 14. Et p. 2. c. 13. d. 19. n. 1. 2. 3. Cothmann. V. 3. Resp. 46. itemque, ne loco simplicium, mixta & mutabilia pacta

pacta ineantur, quod accidit, si pro verbo: behälten und haben / in eis ponatur: erben und succedieren, Stryck. in Ct. contr. S. 3. c. 8. §. 21. 22. & 23. Philipp. l. 3. Ecl 45. n. 3. & 4. Cœterum mundus hodiè non amplius istâ regitur superstitione, ut credat pia-culum esse, si uxor dives viro imperet; ex quo re-ceptum est, ut Reginæ, peres quas summum im-perium est, aliis non regibus nubant, qui sane ministri sunt uxorum suarum, & inter subditos con-numerantur. vide dissertationem de marito regina. Jo. Philippi Palthenii, Professoris, dum viveret, Greiffs-ryaldensis. Non temporo mihi, quin ad hæc illu-stranda mentionem injiciam eorum, quæ de G. Principe, A. Reginæ marito, jam pie defuncto, commemorata legi, nempe ipsum Reginæ, uxori sua, homagium, præstitisse, eo die, quo ad re-gnum erecta erat, neque ausum fuisse ut noctu ad officium mariti sua sponte, & non vocatus redi-ret, hac de causâ, quod non crederet, tantum sibi libertatis subditum sumere debere, ut citra-præceptum cum Reginâ sua cubet: qu' il n' avoit pas erû, qu'un suïet dût prendre la liberté de venir couber avec sa Reine, qu'elle ne lui ordonnât. Vi-deatur liber gallicus hoc titulo proitus: *Lettres historiques, & galantes, par Madame de... Cap. XXX.* Tom. II. Lettr. 35. pag. 280. & 281.

## CAP.

## CAP. III.

*An Supervita ex feudo sol-  
venda sit.*

## §. I.

**P**lerumque ii conjuges, inter quos talia ineuntur pacta, nobili sunt genere, &c, quod consequens est, feuda ut plurimum posident. Quare igitur sollet, an debitum Supervitæ sit pro feudali habendum? Per debita feudalia non intelliguntur præstaciones servitorum, sed æ alienum, quod à Vasallo contractum, atque ex feudo solvendum est. Consuetudine autem & ex æquitate receptum est, ut oneribus istis accenseantur etiam debita, quæ vel ratione feudi vasallus contraxit, vel alias ob singularem causæ favorem par est, ut saltem in subsidium ex feudalibus bonis solvantur. Struv. Synt. jur. feud. cap. 14. §. 4. Necessarium tamen est, ut domini & agnatorum, qui simul investiti sunt, consensus interveniat, Stryck. d. Ct. contr. S. 3. C. 8. §. 31. seqq. Non nunquam verò etiam domini tantum consensus necessarius est: nam, e. g. concessâ alicui spe successionis in feudo, ad dominum proxime reddituro, si vasallus possessor consensu domini feudum oppignoret, is quoque obligatur, cui jus ad rem in eo, sive expectativa data est. Nam feudum prius ad dominum revertitur, atque ab hoc denum, ejusve successori.

soribus conceditur expectanti. Quoniam igitur deo-  
minus ipse propter consensum suum obligatus est, non  
potest non , cui spes ac promissio facta est, vinculē  
obstringi. vid. l. 15. Cod. de donat. l. 14. Cod. de rei  
vindic. II. F. 26. §. 2. Carpz. de oner. feudal. decad. 1.  
posit. 9. Rhetius ad I. F. 3. pag. 182. n. 7. 8.

## §. II.

Quod autem ad agnatos successores attinet,  
ratione debitorum hereditariorum distingui debet,  
inter feudum hereditarium , germanicē *ein eigen-*  
*thümlich Lehn-Guth*/ quod nempē pro se & heredibus  
*quibuscumque*, vel pro se & suis heredibus concessum;  
& inter illud , quod vocatur ex pacto & providentiā.  
Ratione feudi hereditarii , sive mixtē sive mere talis,  
successores quavis Vasalli debita persolvere cogun-  
tur , etiam si non consenserint , quoniam in tali  
feudo succeditur modo succedendi civili , adeoque  
& illius , cui quis succedit , debita unā cum feudo  
ad successorem transferuntur , qui persona eadem in-  
telligitur fictione juris , sic , ut ipse quasi contraxisse  
debitum videatur. arg. 7. §. 5. f. de oblig. que qf. ex  
contr. nasc. & l. 5. §. 2. ff. de oblig. & act. add. Mynsin-  
ger. in tit. de Testib. cap. XI. n. 4. & Richt. p. 1. dec. 55.  
n. 2. quare & feudum tale nullo fere alio modo ab  
allodiis distinguitur , quam ratione fidelitatis , do-  
mino à vasallo debita. Struv. Synt. jur. feud. cap. 14.  
aphor. 2. In feudo ex pacto & providentiā , quantum  
ad agnatos , distinguendum est inter feudum novum,

D

&amp; an-

& antiquum; illo enim solo obligantur agnati ad debita vasalli solvenda: nimirum, quia in feudo novo successores excipere nequeunt de antiquiore possidente, cui beneficium referant acceptum, sed ad feudum illud per pactum vasalli noviter acquirentis admittuntur, æquum omnino videtur, factum ejus à successoribus præstari, ex jure notissimo, quod factum ejus ratum haberi jubet à successore, tam universalí quam particulari, qui causam juris sui ab illo nactus est, l. 149. de R. & l. 17. ff. de evict. item l. 14. Cod. de rei vindic. & Nov. 48. in p[re]f[ab]. veluti post alios argumentatur Berlichius p. 2. Concl. 55. n. 85. Atque ita jure communi; sed aliter se res habet jure Saxonico, propter expressa Ordinationis Torgaviensis verba de anno 1583 rubr. Welcher gestalt die Aignaten und Mit-belehniten &c. quæ ita sonant: und dieses alles soll nicht nur statt haben in einem alt-väterlichen Stamm-Lehen / sondern auch in einem neuen Lehen.

## §. III.

Hisce præmissis, facile potest de proposita questione judicium ferri. Constat scilicet inter omnes, quod stricto jure feudum dari in dotem nequeat, nisi fuerit merè hereditarium, aut dominus & agnati consenserint. Moribus tamen receptum, ut egenis filiabus, ac nepitibus ex filio, tantum ex eo assignetur in subsidium, quantum ad legitimam vel dotem modicam sufficiat; Quare ad hanc obtinendam à quisunque successoribus, actio in rem scripta locum

cum habet. Herold. *Conf. dec.* 23. n. 4. *seqq.* Stryck.  
*Exam. jur. feud. cap.* 21. §. 23. & 24. & ratione quan-  
titatis in dubio domini arbitrio relinquitur. Struv.  
c. 14. t. 17. n. 3. Plerumque autem centum à mille, in  
favorem matrimonii & dotis, decerni & exsolvi so-  
lent, præsertim ab agnatis. Mev. p. 2. D. 119. que tamen  
ante diem nuptiarum peti non possunt, quia in  
debitis subsidiariis & ex die, dies semper pro debiti-  
tore est. Herold. *all. Conf. n.* 34. *seqq.* l. 41. §. 1. ff. de  
V. O. Et ea propter amplæ dotes constitui haud  
debent, ne feuda nimium onerentur, magno succes-  
sorum damno. Vult. *de feudis.* lib. 1. cap. 9. num. 56.  
Carpz. lib. IV. Resp. 65. Stryck. *exam. jur. feud. cap.* 21.  
*qu.* 23. *seqq.* Post hæc etiam extra controversiam est,  
id, quod de dote affirmatur, dotis augmento quoque  
tribui. l. 4. *de jur. dot.* cum dos sit universitas, reci-  
piens incrementum & decrementum. l. 5. *de impens.*  
*in res dot. fact.* Vigel. *Meth. Jur. Contr.* l. 3. cap. 19.  
*Reg.* 53. jam supplementum pars est totius, pars au-  
tem ejusdem est juris, cuius est totum universale.  
l. 7. §. 6. ff. *de pactis l. add.* Everh. *in loco à toto ad par-*  
*tem pag. m.* 279. *seq.* & Hotomann. lib. V. *Observat.*  
*cap.* 31. Una enim eademque res non debet diverso  
jure censeri, sed, quod dispositum est in principali,  
id intelligitur repetitum in accessoriis. l. 8. *Cod. de*  
*Jur. dot.* Quare & quis putare posset, Supervitam  
quoque ex feudo deberi. Sed planè aliter esse sta-  
tuo, quia hæc donatio non potest augmento dotis  
accenseri, jure etiam germanico. Nam quamvis

dotem juxta jus germanicum antiquum maximè dif-  
ferre ex conceptu juris Romani, nemo futurus sit qui  
neget, dummodo ea, quæ habet Schilterus *Ex. 36.*  
§. 68. *seqq.* perpendat, in primis, quod jure Romano  
dos detur marito ad onera matrimonii sustinenda,  
jure vero germanico uxori, ut vidua post mortem  
mariti haberet, unde se exhiberet, quia foeminæ  
olim ad secundas nuptias non transibant. *Vid. Tacit.*  
*de moribus german.* *cap. 19.* *Beyer.* *ad Pandect.* *de jur.*  
*dot. pag. 429.* *Dieteric.* *Ankelm.* *depact.* *dotal.* *Sect. I.* §. 5.  
undè etiam dotalitium, tanquam species & surroga-  
tum dotis germanica iisdem privilegiis, quibus dos  
ipsa, hodiè gaudet. *Carpzov.* *Part. I.* *Const. 28.* *def. 93.*  
Attamen Supervita neque pro dote ipsa, neque pro  
dotis augmento, sed pro merita & arbitriariâ donatio-  
ne haberi debet, quæ nullis speciatim legibus intro-  
ducta est, sed vel adesse, vel abesse, pro lubitu  
contrahentium, potest. Undè & in concursu credi-  
torum merito hi uxori ratione Supervitæ præferun-  
tur, cum certent de damno vitando, uxor autem de  
lucro captando. *Ludovici Einleitung zum Concurs.*  
*Proc. cap. 10.* §. 33. Et ita in terminis decisum est in  
Cancellariâ Cizensi d. 23. Jan. 1626, ex responsu juris-  
cons. *Wittemb.* referente Berlich. *part. 3.* *Dec. 57.*  
n. 4. § 10.

## §. IV.

Itaque ad quæstionem allatam sic potius respon-  
demus: Si nulli adsint agnati, feudumque in eo sta-  
tu sit, ut proximè aperiatur, solius Domini consen-  
sum

sum ad constituantam justo modo Supervitam requiri, etiam si tertius aliquis expectativam habeat, qui invitus etiam ad eam solvendam juxta retro adducta adigitur. Idemque juris est in feudo heredario; Sed ubi feudum fuerit ex pacto & providentia, idque antiquum, tum non domini solum, sed & agnatorum consensus requiritur ad validitatem Supervitæ, cum hi, nisi id fiat, detrectare ejus solutionem possint, ut qui jus in feudum suum ab antiquiore possessore derivant. vid. §. 1. & 2. hoc cap. Stryck. Exam. jur. feud. cap. 21. §. 19. In casu igitur omisi consensus, ea, quæ uxori nomine Supervitæ ad sui sustentationem promittuntur, non de bonis feudalibus, sed de bonis patrimonialibus ab heredibus allodialibus sunt præstanda, qui ad factum defuncti recte obligantur. Berlich. P. 3. Dec. 358. n. 4.

## §. V.

Apud eundem Berlichium cit. dec. 357. hæc quæstio proponitur: Si uxor nobilis sit indotata, vel dorem promissam non solverit, an ea, quæ ei pro jure & nomine Supervitæ promissa sunt, petere possit? Quam nos intrepide affirmamus, cum Nic. Boër. dec. 22. p. 2. & Guid. Pap. dec. 565. quibus ipse Berlichius accedit. Ratio decisionis ex ipsâ natura pactorum apparet: cum enim in pactis intendatur translatio & acquisitio juris, peccat utique contrà regulas iustitiae, qui laedit alterum, fidem datum non servando. Thomas. fundam. jur. nat. l. 2. c. 7. n. 3. Ni enim fides data servanda foret, plurima pars

D 3 utili-

utilitatis periret, quæ humano generi ex communis  
catis invicem officiis enascitur, neque liceret ratio-  
nes suas firmiter aliorum hominum subsidiis super-  
struere. Pufend. de jur. nat. & gent. l. 3, cap. 4. §. 2. Si  
autem hoc in cæteris aliis pactis obtinet, nulla can-  
sa est, quare aliud sit in pactis dotalibus. Itaque si  
Supervita pure & simpliciter, sine adjectione ullius  
conditionis, promissa sit, solvi hæc postea debet, etiam  
si dotem vir nullam aceperit; cum dos, & Super-  
vita nullo inter se vinculo conjungantur, sed Super-  
vita sit simplex donatio, & propter alias causas fiat,  
quam propter dotem, neque adeo ad dotem referat-  
tur, arg. l. 20. Cod. de donat. ante nupt. Neque dici  
potest, esse hoc contrâ jus commune, quo donatio-  
nes inter virum & uxorem prohibentur. vid. t. t. ff. &  
Cod. de donat. inter vir. & uxor. Cessant namque hoc  
in casu rationes juris Romani; Olim enim invalida-  
erat hæc donatio, ob potestatem maritalem, quæ uxo-  
rem faciebat alieni juris, & proinde conjuges pro-  
unâ personâ habebantur, non secus ac filius & pater:  
accedebat & altera causa, ne mutuo amore conju-  
ges spoliarentur, & matrimonia venalia forent, quod  
eò magis in republica Romana metuebatur, quo  
amplior licentia repudiorum & divortiorum con-  
cessa erat. Plutarch. in quest. Rom. Brisson. de ritu  
nupt. pag. 214. Quorum omnium nihil hic occurrit,  
cum effectus hujus donationis soluto demum per  
mortem matrimonii se exerat, quæ mors etiam ju-  
re Romano donationes inter virum & uxorem con-  
firma-

firmabat. Struv. *Synt. jur. civ. Ex. 30. tb. 30.* Olim quidem ad confirmationem talis donationis necessarium erat, ut res donata à donatore fuisse tradita; Nam si saltem quid promissum fuisse, licet durante voluntate donator decessisset, non debebatur. *I. 23. de donat. inter vir. & uxor.* Sed ea lex jure novissimo mutata est, ita, ut donatio saltem promissa post mortem donatoris peti possit. *Nov. 162. cap. 1.* Kohl. *de pact. dot. p. 2. n. 2. n. 20.* Stryck. *ad Brunnem. jus Eccl. 2. 16. 4.* Planè aliud dicendum est, si solutioni dotis, tanquam conditioni alicui, illa de Supervitâ donatio superstructa fuit; Conditio enim, si non est impleta, cæteris paribus actum irritum facit, nec minus circa accessoria, quam circa principale. vid. *t. t. ff. de Condit. & demonstr.*

## CAP. IV.

### *In quibus rebus Supervita constituatur.*

#### §. I.

**D**E hoc capite nihil in universum dici potest: res enim ad Supervitam pertinentes arbitrio contrahentium relicta sunt, nec legibus publicis determinatae, ut alias in rebus similibus factum est, verbi gratia, in rebus expeditoriis, *Heer-Gewette / & uteri filibus, Gerade / ad quas quid referendum sit, & in legibus & à compluribus jurisconsultorum colle-*giis

gliis exacte definitum est. vid. Richter. de Succ. ab intest. Sect. 1. memb. 1. num. 70. seqq. & locupletissimè Volckm. in der Notariat-Kunst p. 3. cap. 18. 19. qui liber non deber vulgaribus formulariis accenseri, cum sit pri-  
mum adjuvantibus celeberrimis jurisconsultis, mo-  
nente Lynckero disp. de form. procur. confessus, & nuper  
à consultissimo Beyero emendatus. Sed de Supervitâ  
altum est ubique silentium, atque hoc nullam aliam  
ob causam, quam quia in potestate mariti & uxo-  
ris est, quid sub eâ comprehendere velint, adeoque  
infinitis modis variat. Quândo igitur controversia  
est de rebus Supervitæ adnumerandis, inspici debent  
verba dotalium pactorum, ut rectum inde judicium  
ferri queat. Illud facile ab iis, qui in rerum argu-  
mentis versantur, observabitur, plerumque talia quæ  
ad vitam sustentandam faciunt, conjugibus promitti  
solere, v. g; certam quantitatem lignorum, eßliche  
Klaßtern Holz/ lentes, ciceres, & cætera legumi-  
na, volatilia, aquatilia, & hujus generis alia, quæ  
commodius ex ipsis nuptialibus instrumentis hau-  
riuntur, utpote quibus perfectis de mente & animo,  
atque liberalitate conjugum facilè constabit. Ast quia  
per exempla res fit clarior, specimen aliquod hic  
brevissimis subjecere lubet, cætera verò formalia.  
suppleant Caut. Stryck. S. 3. cap. 8. §. 4. & 39.

P. P.

Et quidem post dotis & dotalitii constitutionem.

**M**nd damit (2.) die Hoch-Adel. Frau Withe/  
**W**auf den unverhofften Zodes-Hall / ihr Adeliches  
und

und ehrliches Auskommen desto reichlicher erlangen / dero Adel. Stande gemäß sich halten und denselben vollführen könne; So hat sich Hoch-wohlgedachter Herr von N. als Bräutigam dahin gutmuthig und wohlmeinend *resolviret* / daß seiner herzliebsten Vertrauten uf ereigneten Fall / über vorgesetzte Leib-Renthen / nachfolgende Verpfleg- und Unterhaltungs-Mittel jährlich und jedes Jahr besonders in dero sichere Verwahrung und wohnende Behausung / es sey zu N. oder in einer Stadt/ wo es ihr bey 2. Meile wegnes weit von hier zu wohnen belieben möchte / ohne ihre Kosten aus vorgesetzten seinen Lehn-Guthen von seinen Lehns-Folgern eingeschaffet und überliefert werden sollen / als

- (1.) 30. Scheffel Frucht / nemlich
- 4. Scheffel Weizen.
- 10. Scheffel Korn.
- 10. Scheffel Gersten.
- 4. Scheffel Haser.
- 1. Scheffel Hopffen.
- $\frac{1}{2}$ . Scheffel Erbsen.
- $\frac{1}{2}$ . Scheffel Linsen und
- $\frac{1}{2}$ . genaueten Hirschen. &c.

Welche Früchte ohne einzige der Frau Witben Kosten in dero Wohnung / sie sey außm Dorfse oder in der Stadt/ verschaffet werden sollen.

- (2.) Ein Rind und 2. Kälber/oder 20. Athlr. davor,
- (3.) Vier Schweine/oder gleichergestalt 20. Athlr.  
davor zu præstren.

E:

(item,

(item, Gänze / Hühner / Enden / Hasen / Fische / Wein / Gewürz u. d. g. m.)

(4.) Sollen von den Lehnsgolgern der Adel. Frau Witben jährlich und jedes Jahr besonders entweder 40. Rthlr. vor Brenn-Holz und Kohlen/ ohne ihre/ der Frau Witben/Kosten eingeschicket und bezahlet / oder aber davor jährlich 60. Schock Reisig und 20. Klaßter Scheid-Holz in dero Wohnung eingeführet und geschaffet werden/darüber sie den iedemahl behörige Quittung/dem Empfang nach/ auszustellen schuldig seyn soll.

(5.) Ein Muß- und Obst-Garten/ oder 10. Rthlr. davor / und damit

(6.) Die Adel. Frau Witbe an Lein- und Kirchen-Gewächs keinen Mangel haben möchte; so soll Ihr jährlich und jedes Jahr besonders vier Acker wohl zugerichtet/ geackert/ gedünget und bestellt/ auch eingeführet werden / darzu die Adel. Frau Witbe iedemahl den Saamen hergiebet / die erwachsene Früchte aber und Flachs müssen die Fröher iedemahl zu recht bringen. Über dieses und

(7.) So soll der Frau Witben auch eine anständige und bequeme Wohnung vor- und umb 600. Rthlr. geschaffet und erkauft werden / oder/ da es Ihr bequamer auch gefälliger wäre / solcher Wohnung halber jährlich und jedes Jahr besonders das gewöhnliche *interesse*, als 30. Rthlr. zu nehmen / sollen Ihr berührte 30. Rthlr. jährlich aus obgemeldten Lehn-Güthern nach ihren Begehren ganz

ganz willig/und ohne ihre Kosten geliefert und aus-  
gestellet werden. Mit welchen sieben Posten denn  
von Jahren zu Jahren an die Frau Witbe / ohne  
einzige Verminderung continuiret werden soll: da  
sich aber zutragen sollte / daß die Hoch-Adel. Frau  
Witbe viduitatem verlassen und sich anderweit ver-  
ehlichen würde; so sollen vorgesetzte sieben Puncte  
zu dero bessern Unterhaltung / alsobalden wenn  
Sie secundas nuptias würcklich antritt / ihre End-  
schafft erreichen / die obgesetzten Leib-Renthen aber  
haben bisz auf ihren Todes-Fall ihren völligen Lauff/  
und hat sie solche auf ihr Leben fruchtbarlich zuge-  
brauchen. Et sic deinceps von der Gerade / Mor-  
gen-Gabe / Muftheil und andern. n.

## §. II.

Plus dubii habet , si in reciprocâ Supervitâ ita  
conventum sit, ut, quoniam mariti facultates uxoris  
facultatibus non respondent , liberalitas mulieris  
ad eam quantitatem restringeretur , quæ ex mariti  
bonis in contrarium eventum , si scilicet maritus præ-  
defunctus foret , redigi posset. Quæ species , cum  
in facto contigisset , late & eleganter ab Antonio  
Fabro Cod. Sabaud. lib. V. tit. I. def. 1. pertractata est.  
Summa totius rei hocredit : dubitabatur nimirum,  
an maritus Supervitam jure peteret , antequam  
ostendisset , quid in bonis habuisset contractus tem-  
pore , quidve haberet hodiè , & ex eo sciretur , quan-  
tum vicissim ex donatione ab uxore in se collata  
consequi deberet ? Ratio dubitandi hac erat , quod

E 7 videre-

videretur donatio sub conditione facta esse, sub illa nimirum, si tantundem in bonis haberet maritus. Sed penitus rem intuentibus postea visum est, mutuam illam inter conjuges donationem pro purā habendam esse, restringendam tamen sub conditione, si postea appareret, tanti non esse mariti facultates. Est enim longē aliud, fieri sub conditione, aliud resolvi aut restringi sub conditione. leg. 1. de lege Commiff. leg. 2. de in diem addit. Proindē tuendum esse maritum, pronunciabatur, in possessione bonorum mulieris ad concurrentem usque summam integrām, quæ expressa esset, saltem præstata cautione, si quid amplius, quam per conventiones liceret, accepisset, id se restituturum. arg. leg. 1. & t. t. si cui plus, quam per leg. Falcid. Cui consequens fuit, ut mulieris heredibus incumberet onus probandi, quod in mariti facultatibus minus esset, quam ut tantam donationem mereretur, qui tantam de suo præstare nequiere.

## CAP. V.

*Quibus modis quis indignum se redat Supervitâ.*

## §. I.

**N**on nunquam pacta conventa servanda non sunt, illis scilicet in casibus, quibus jura lucrum conjugi admunt, poenæ causa. Quia omni pacto superstiti

stiti conjugi portionem bonorum deferenti , tacita  
hæc inest conditio , si coniux suum faciat officium ,  
Carpz. p. 3. C. 26. d. 1. n. 3. 4. 5. Berlich. p. 3. concl. 36.  
d. n. 2. usque 51. ubi in simili de causis , ex quibus  
coniuges portionem statutariam vel ex pacto debitam  
amittant , agunt , arque insuper ostendunt , quod so-  
li descendentes heredes ad privationem portionis  
statutariae vel ex pacto , adversus coniugem experiri  
possint , non etiam extranei vel collaterales , si de-  
functus ei injuriam sibi illatam , vel tacite , vel ex-  
pressè non condonaverit. Carpzov. d. 1. def. 12. 13.  
§ 14. Primum igitur non vindicata per superstitem  
nece defuncti & occisi ab alio coniugis , lucrum pa-  
titium amoris ergo datum meritò cessat. l. 20. §  
21. de bis qua ut indign. Berlich. p. 3. Concl. 36. n. 6.  
Sed quem ad modum hodie jure succedendi heres  
necem defuncti non vindicans non excidit , ita , cum par-  
utrobiique sit ratio , neque coniux ob hanc causam Su-  
pervita privabitur. De qua re in medium produ-  
cam responsum Scabinorum Wittenbergensium , de  
anno 1675. cuius verba hæc sunt : Wenn nun gleich  
nach gemeinen Kaiserlichen Rechten der Erbe / so  
des Entleibten Tod zu vindiciren sich weigert / da-  
durch der Erbschaft verlustig / und solche dem  
Fisco zugeeignet wird / auch etliche Rechts-Gelehr-  
ten der Meinung sind / daß dergleichen jura annoch  
unverändert observiret werden müsten ; Heig. lib. 2.  
qu. 34. quo inclinat etiam Brunnemann. ad l. 10. Cod.  
de bis qua ut indignis. Dennoch aber und dieweil

die eigentliche End-Ursache solcher gesetzten Verordnung diese gewesen / damit die Todtschläger zur verdienten Straffe gebracht / und solche Ubelthaten nicht ungerochen bleiben möchten / dieses aber nunmehr nach eingeführten *Inquisitions- Proces* ohne peinliche Anklage aus richterlichen Ambte gar wohl geschehen kann / auch unbillig seyn wolte / wenn bey der frengelassenen Erwehlung der Erben und nächsten Anverwandten / ob sie wieder den Thäter selbst per modum accusationis zuverfahren / oder solches dem richterlichen Ambte zu übergeben gemeinet / auf diesen letztern Fall sich der Erbschaft verlustig machen: Über dieses andere und mehr Rechts- Gelehrte / daß obangesführte Kaiserliche Rechte nicht mehr üblich / deutlich attestiren. Carpz. pr. Cr. qu. 34. n. 72. slegg. & p. 4. Const. ii. d. 10. & quo ibi allegat plures. Ant. Matth. de criminib. p. 570. Hahn. ad Wesenb. tit. de his qua ut in dign. So erscheinet dannienhero allenthalben so viel / daß ihr des Entstiebten Verlassenschaft zu eich zu nehmen / und in Fiscum zuziehen nicht befugt / sondern dieselbe seinen nachgelassenen Brüdern abfolgen zu lassen schuldig. V. R. W. vid. Fridr. Erhard. Glasevvald. Disp. de legato liberationis ab indebito. corollar. 13. Dissentit L.B. de Lyncker. de bonis erexitis.

## §. II.

Per secundas nuptias intra tempus iunctus contractas , post mortem alterius conjugis privatur superstes lucro omni , quod defunctus concescit , ergo & Supervitâ , leg. 1. & 2. Cod. de Sec. nupt. Nov. 39. Cap. fin. vid.

vid. latius Mev. ad *jus Lübec* part. 2. tit. 2. art. 12. n. 425.  
 & Gail. 2. O. 98. ubi n. 8. ait: *Licet pœna juris civilis  
 in odium secundi matrimoniū nisi propropter contracti imposita,  
 de jure canonico sint sublate, per Cap. pen. § fin. X.  
 de Sec. Nuptiis tamen pœna juris civilis in favorem filiorum  
 primi matrimonii apposita, non sunt sublate.* add. Perez.  
*ad Cod. de Sec. N.n. 4. 5. & 19. Ziegler. ad Lancellot. lib. 2.  
 tit. 16 §. fin. L. B. de Lyncker. dict. disput. §. 23. 24. Beyer.  
 de concubitu intra tempus luctus.*

### §. III.

Sunt & aliæ multæ causæ, ut propter adulterium,  
 propter turpem & luxuriosam vitam, propter denega-  
 tionem alimentorum, aut duram tractationem, aut in-  
 justam adulterii accusationem, aut denique propter  
 malitiosam desertionem, de quibus tamen singulatim  
 hic agerè opus non est: videantur, qui ex professo de  
 pactis dotalibus scripsere, Fontanella, Neostadius,  
 Weselius, Lindenerus, Meürerus, Kohlius, & intec  
*Commentatores ad tit. ff. & Cod. de pactis dotal. impri-*  
*mis Vigelius in Met. Jur. Contr. Lib. 4. cap. 10. seqq.*  
*quibus addi potest Zobel. ad LandR. art. 21. in gl. germ.*  
*n. 2. ubi novem in pari adducit causas, ob quas mulier*  
*se indignam reddat omni beneficio.* Et hæc  
 haec tenus.

## COROLLARIA.

### I.

A Supervita viduis debita, differt adjectio illa,  
 qua in venditione rerum nonnunquam, ultra pretium  
 con-


conventum, in nuptias filiarum vendoris, ab emtore  
promitti solet, atque vulgo etiam das Eingeschneittel  
oder Zubereis vocari consuevit. De hoc additamenteo  
Carpzovius querit: an filia, in quarum gratiam haec  
promissio facta, si ante nuptias moriantur, illam ad  
successores transmittant? & negative respondet, p. 2.  
*Const. 46. def. 21.* quia conditio nuptiarum promissioni  
fuit addita, qua non existente, filia nihil juris sibi ar-  
rogare possunt. *l. 44. d. cond. Et demonst.* ergo multo  
minus illarum heredes. *l. 54. Et l. 120. de reg. jur.*

## II.

Mulier relegata, licet jussu Magistratus, sine mariti  
tamen voluntate ac culpa, ab ejus domo abesse tenea-  
tur, non tamen in hoc exilio à marito alimenta exigere  
potest; veluti Facultas quædam Theologica ad infor-  
mationem respondit. *m. Sept. 1707.* addita hac ratione:  
Weisen sich ein solches Weib durch ihre eigene Schuld  
in den Stand gesetzt / daß sie gegenwärtig und or-  
dentlicher Weise des Unterhalts von den Mann nicht  
genießen kan: das ist unsere Meinung / die wir in  
Gottes Wort gegründet zu seyn erachten.

## III.

Uxor relegatum sequi tenetur maritum, si hoc  
absque ingenti dispendio rei familiaris fieri possit.



**ULB Halle**  
006 548 385

3



vD 18



B.I.G.



E.30. num. 25.

1713/18a

20

I. N. J.  
DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**SVPERVITA,**

VULGO  
**Singeschneitel /**

QVAM

**DEO DVCE,**

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO

**GVILIELMO HENRICO,**

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE AC MONTIVM,  
ANGARIAE ET WESTPHALIAE , &c.

*Ex Decreto & Autoritate Illustris JCTorum Ordinis  
IN ALMA SALANA,*

SVB PRAESIDIO

*VIRI ILLVSTRIS ATOVE EXCELLENTISSIMI,*

**DN. CHRIST. WILDVOGELII, ICTI,**

SERENISS. DVCIS SAXO - ISENAC. CONSILIARI STATVS INTIMI  
CVRIÆ PROVINCIALIS ET SCABINATVS ASSESSORIS: COLLEGII  
IVRIDICI SENIORIS, VT ET ANTECESSORIS CELEBERRIMI,

*Domini atque Patroni sui submisse venerandi,  
PRO - LICENTIA DOCTORALI*

*in utroque Jure consequendâ  
publico Eruditorum examini submittit*

**CHRISTIANVS BERNHARDVS KREBS,**  
Calensis Thuring. in Praefect. Orlam. & Leuchtenb. Politæ Commissarius,  
& Advocat. Ordinar.

*D. Septembr. MDCCXIII. horis ante - & pomeridianis.*

*IENAE, LITERIS MULLERIANIS.*

